



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm I. De Presbytero.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)


TITVLVS XX.

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

CAPITVLVM I.

De Presbytero.

PARAPHRASIS.

 Vidam sacerdos sponte in duellum descendit, & partem digiti amisit; dubitabatur vtrum sacrificare posset? Respondet Alexander III. Tametsi is grauiter deliquerit, tamen post peractam poenitentiam, misericorditer permitti posse, vt celebret, si tantum de digito non amisit, vt absque scandalo celebrare possit.

SVMMARIVM.

1. *Qui partem digiti, vel etiam integrum digitum ad hostiam frangendam non necessarium amisit, irregularis non est, modo magna deformitas non sit, de quo iudicat Ordinarius.*
2. *Facilius tamen ad ordines, eorumque usum admittitur, qui sine culpa ita mutilatus est.*

NOTANDVM. Qui partem digiti, etiam ad frangendam hostiam necessarii, videl. pollicis, aut indicis amisit, si deformitas notabilis non est, non debet cenferi irregularis. Idemque sentiendum, si integer digitus ad hostiam frangendam non necessarius amissus sit, dummodò magna deformitas non sit. Quod iudicare ad Episcopum pertinet.

2. Aduerte tamen, ita mutilatum facilius ad Ordines suscipiendum, vel susceptis vtendum admitti, si sine culpa res accidit: difficilius autem, si per propriam culpam. Potest enim tam graue esse delictum, vt me-

reatur suspensionem ab ordine, vel depositionem: consequenter ita delinquens ab ordinatione repelli potest, tanquam moribus indignus. Et ita intelligitur textus huius c. Non enim Episcopus, ad quem Alexander III. scripsit, cum presbytero illo dispensauit super irregularitate, quam non incurrit, sed poenam, quæ ipsi infligi debebat, temperauit, & ita misericorditer permisit, vt mox post actam poenitentiam celebrare posset. Ita significat Nauar. c. 27. n. 156. & docet Suarez de censur. disp. 51. f. 2. n. 7.

Porro de poenis, quæ iure nouo concertantibus duello impostæ sunt, dixi lib. 3. Th. mor. tr. 3. p. 3. c. 5. in fine.

CAPITVLVM II.

Cum de tua.

PARAPHRASIS.

Quidam in Episcopum electus fuit: sed electioni duo obiecta erant; quòd in oculo maculam haberet, & filius Canonici esset. Ad hæc respondit Alexander III. Se Archiepiscopo Cantuariensi dedisse in mandatis, vt super natalium defectu cum electo, seu potius postulato (olim enim hæc voces promiscuè vsurpabantur) dispensaret. Quod verò ad maculam oculi attinet, vt adhibito suffraganeorum consilio statueret, quod ipsi visum fuerit. Addit Pontifex, quòd electus hanc vt maximam Apostolicam gratiam, & dispensationem agnoscere debeat.

SVMMARIVM.

1. *Super vitio corporis, si sit magna deformitas, non facile dispensat Pontifex, praesertim*